

05

A

2504



7. N. 7.
DISPUTATIONUM INAUGURALIUM
T R I G A

In quarum
P R I O R I

Super Verba Danielis cap, 4. vers. 34.

Redime Peccata tua Eleemofynis &c.

Responderunt pro Licentia Doctorali

**H I E R O N Y M U S W E L L E R &
M. N I C O L A U S M E D L E R.**

1535. M. Septembr.

**P O S T E R I O R I
D E P O T E S T A T E C O N C I L I I,**

Responderunt pro Licentia,

**M. J A C O B U S S C H E N C K &
P H I L I P P U S M O T H.**

1536. M. Octobr.

P O S T R E M A

Super Verba Christi:

Vade, Vende, Relinque Omnia &c.

Respondit pro Doctoratu

M. J O A C H I M M Ö R L I N U S,

Pastor Arnstadt. Thuring.

1540. M. Martio.

Singuli

Præside ac Decano

M A R T I N O L U T H E R O.

Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta/
Nunc recusa M DC LXXVIII.



J. N. J.

DISPUTATIO PRIMA

Super Verba Samuelis Cap. 4. v. 34.

Redime peccata tua eleemosynis.

Præsides

D. MARTINO LUTHERO

Pro Licentia responderunt

HIERONYMUS WELLER

Et

M. NICOLAUS MEDLER.

Thesis I.



Mnium Fidelium antiquorum Fides, fuit Fides in Christum futurum, sicut Scriptum est, Christus heri & hodie.

2. *Credebant in DEUM. Ad eum qui Christum promiserat, & hunc expectabant.*

3. *Omnia dicta de peccatis vel bonis operibus, presupponunt Fidem Ebr. 11.*

4. *Quia peccatum non potest intelligi, sine Notitia DEI, Neq; enim peccatum novit, qui DEUM vindicem non credit.*

5. *Nec opus Bonum intelligi potest, sine Notia DEI neq; enim bonum faciet, qui DEUM probantem & remunerantem non credit.*

6. *Hoc*



05 A 2504

6. Hoc est quod dicitur, oportet omnem acceden-
tem credere, quod DEUS sit & se quarentibus Remu-
nerator sit Ebre. 11.

7. Hæc ex definitione peccati & boni operis facile
intelliguntur, ut, peccatum est opus contra Legem DEI,
Bonum opus secundum Legem DEI.

8. Ergo DEUS subintelligitur. Si præintelligitur
necessario. Qui intelligi non potest, nisi Fide.

9. Quare ante omne opus vel creditur, vel non
creditur.

10. Unde isti Loci de tota vita Christiana seu Fide
incarnata intelliguntur. Redime peccata tua &c.

11. Estque Sensus, Crede DEUM irasci peccatis &, pla-
cari justis, & fidem hanc veram esse, operibus ostende.

12. Vox peccati hic ponderanda & definienda est,
& mox DEUS & irascens & remittens præintelligi
probat.

13. Igitur Daniel Regem Babylonis ad totius vi-
tæ conversionem hortatus, docet vera Fide (quæ fa-
cit opera) Remissionem peccatorum obtineri.

14. Dicens enim peccata tua, ostendit ei iram DEI,
i.e. legem, esseque eum peccatorem coram Deo, quod
ignorarat Rex.

15. Dicens, Redime Eleemosynis, ostendit ei gra-
tiam Dei quæ remittuntur peccata, si credat, & Ele-
emosynis Fidem suam probet.

A 2

16. Nam

16. Nam nisi crederet Danieli se peccasse, & iram Deimeruisse, non resipisceret à peccatis.

17. Rursus, nisi crederet Deum velle ignoscere, non studeret Eleemosynis dandis.

18. Tatam ergo Doctrinam, scilicet Legem & Evangelium, Daniel hoc verbo eompletus est, i. e. totam Fidelium vitam.

19. Sicut in morali doctrina, semper presupponitur recta ratio & Bona voluntas, dum justa & honesta precipiuntur.

20. Dicta verò, quæ de tota vita Christiana loquuntur seu Fide incarnata, non debent trahi contra partem, i. e. contra Fidem solam, seu Justificantem.

21. Alioqui erit Manifesta fallacia compositionis & divisionis.

QUESTIO DE ILLO PAULI

Dicto I. Corinth. 13.

Si fidem habuero &c. item major horum charitas.

Respondetur adversariis, Paulum h. l. Fidem pro dono spiritus accipere.

2. Cum autem Charitas omnium donorum Spirituum sit maximum, merito præfertur tali Fidei.

3. Sciolis & disputantibus respondetur, Paulum hic loqui propositione hypothetica, si fidem habuero &c.

4. Piis etiam responderi potest. Fidem hic, etiam si pro illa justificante Fide acciperetur, tamen Charitatem ea majorem, & sine hac illam nihil esse.

DISPUTATIO SECUNDA
De Potestate Concilii,

Præsides

D. MARTINO LUTHERO,

Responderunt pro Licentia M. Octobr. 1536.

M. JACOBUS SCHENCK & PHILIPPUS MOTH.

Thes. 1.

Nulla autoritas post Christum, est Apostolis & Prophetis æquanda.

2. Ceteri omnes successores, tantum discipuli illorum debent haberi.

3. Apostolice certam [non in specie solum, sed in individuo quoque] promissionem Spiritus S. habuerunt.

4. Ideo soli fundamentum Ecclesie vocantur, qui articulos Fidei tradere debebant.

5. Nulli successores in individuo promissionem Spiritus S. habuerunt.

6. Quare non sequitur, Apostoli hoc & hoc poterunt, ergo idem possunt eorum successores.

7. Sed quicquid volunt docere aut statuere, debent auctoritatem Apostolorum sequi & asserere.

8. Sicut Petrus ait: Loquantur quasi sermones Dei, ministrent sicut virtutem Dei.

9. Non enim voluntate humana affertur Prophecia, sit homo in quocumque gradu.

10. Sed Spiritu S. inspirantur homines Dei, ut interpretentur scripturas, non propria interpretatione.

A 3

11. Quod

11. Quod si Fundamentum Apostolorum non sequuntur successores nec observant, Heretici sunt, vel Antichristi, ut extra Fundamentum per diti.

12. Possunt ergo Episcopi congregati seu Concilium errare sicut alii homines, tum publici, tum privati.

13. Si vero non errant, hoc fit casu, seu sancti alicujus inter eos, seu Ecclesiae merito, non autoritate congregationis eorum.

14. Sicut Nicenum Concilium, unius Paphnutii virtute, errorem vitavit, ita favente Ecclesiae suae Christo.

15. Non enim est ulla promissione Spiritus S. alligatus ad Episcoporum vel Concilii congregationem, nec hoc possunt probare.

16. Proinde superbe & falso, ne dicam blasphemè jactant, sese in Spiritu S. legitime congregatos esse.

17. Quis eos aut nos certos facit, quod Spiritus S. ad eorum congregationem necessariò sit alligatus.

18. Congregari facile est, sed in Spiritu S. congregari non possunt, nisi Apostolorum Fundamentum secuti, non suas cogitationes, sed Fidei Analogiam tractaverint.

19. Hoc rectè dicunt, quod representent Ecclesiam universalem, non enim necessariò sunt Ecclesiae, sed saepius representant Ecclesiam tantum.

20. Etsi tantum representant Ecclesiam, tunc sunt Eccle-

Ecclesia, sicut homo pictus est homo id est tantum re-
presentans.

21. Quod si aliquid amplius sunt (id est vera Ec-
clesia) hoc fit casu [ut dictum est] non virtute repræ-
sentantis Ecclesie.

22. Testantur historia sæpius concilia fuisse eccle-
siam tantum representantem raro veram ecclesiam.

23. Imo concilium est semper representans Eccle-
sia per se loquendo, sed per accidens est ecclesia vera.

24. Nemo igitur tenetur credere decretis Ecclesie
representativæ, i. e. Conciliis, nisi Apostolorum Scri-
pturis judicent & loquantur, quod fit casu.

25. Cætera omnia sunt meræ representativæ Ec-
clesie, seu pictæ Ecclesie quibus, si non sunt impia, pro-
test faveri.

26. Et ipsimet dicunt, quod unus homo potest toti
Concilio contradicere, si meliorem Rationem aut scri-
pturam habuerit.

27. Dicunt hoc, sed mentientes, cum factis hoc ipsū
fortiter negent & damnent.

28. Neq; si Angelus de cælo veniret, sibi contradi-
cipatiuntur, neq; Paphnutios infinitos audirent.

29. In Nicæno Concilio unus Paphnutius Conci-
lio restitit; nec tamen fuit combustus sed laudatus.

30. In Constantiensi, duo Paphnutii, scripturis ar-
mati restiterunt, nec tamē sunt laudati, sed combusti.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA,

Ad dictum Luc. XVI. 11.

Vade, Vende, &c.

Præsides

D. MARTINO LUTHERO,

Pro Licentia habita

à M. JOACHIMO MÖRLINO.

Thes. I.

Dominus hoc ipso quod docet vendere & relin-
quere omnia concedit imo præcedit quærere &
possidere omnia.

2. Non enim poteris vendere aut relinquere nisi
quod juste acquisieris & possideris.

3. Alioqui dici oportuit, omnia esse reddenda &
restituenda, ceu furta, rapta, injusta.

4. Manifestum est in secunda tabula præcipi omnia
quærere & possidere dum dicit: Furtum non facies.

5. Hoc est tuum, non alienum habeas seu (ut Pau-
las ait) laboret quilibet ut habeat quod det egenti.

6. Et ipse Paulus quærebat manuum opere victum
& possidebat suum.

7. Ita & dum prohibet adulteria cogit habere ux-
ores proprias ut Paulus dicit. Unus quisque suam habeat.

8. Certum est autem, quod Christus non venerit
solvere legem secundæ tabulæ sed magis confirmare.

9. Quin & Magistratū & jurapolitiæ ubique confir-
mat etiā, coram Pilato dicens: Datū esto tibi de super.

10. He-

10. Hereticum igitur est, quod monachi putant,
Christi Evangelium servati non posse, nisi secundam
Tabulam coelibatu & paupertate contemnant.

11. Estq; hypocrisis & mendacium insigne, quod
prætexerunt, sese vendere & relinquere omnia.

12. Oportet enim vivere eos, vel de datis per alios,
vel acquisitis per se ipsos, ut testatur res & experiētia.

13. At dum edunt, bibunt, vestiunt, habitant, cer-
tè non vendunt nec reliquunt omnia, sed habent &
utuntur omnibus.

14. Sed hoc pulcherrimum commentum est, quod
de alienis Bonis vivunt ociosi & securi. Et pauperta-
tem seu relinquere omnia, faciunt idem, quod in com-
muni possidere.

15. Hoc est, suavissimum relinquere propria, me-
dica & incerta, & pro iis accipere aliena, plurima &
certissima.

16. Christus autem dicit, vendenda & relinqven-
da esse omnia propria, haud dubie multo magis omnia
aliena & communia.

17. Igitur simonastico sensu volent relinquere &
vendere omnia, oportet eos exire & hoc mundo.

18. Imò exire oportet illis, uti non vivitur, libitur,
vestitur, habitatur, ut sic verè omnia relinqvant.

19. Nam vita, seu quod vivis, edis, bibis, vestis,
locus, hora & similia quibus uteris tua sunt ipso usu.

B

10. Si

20. Si verò tua non sunt, jam fur, aut Latro es, aliena vorans, & pro tuis usurpans.

21. Christus loquitur de relinqvendis & vendendis omnibus propter primam Tabulam, seu Confessionem & causam publicam fidei.

22. In causa enim primæ tabulæ retinenda emendaq; ista gemma regni cælorum vendendæ est ager relinqvenda & amittenda sunt omnia.

23. Tunc enim quod in secunda tabula juste habes & possides, pro hac vita propter primam tabulam, id est, vitam æternam, est hilariter amittendum.

24. Extra causam, primæ tabulæ seu cōfessionis sunt omnia paranda, servanda, defendenda, administranda.

25. Qui tenemur tabulæ secundæ obedire id est jure divino & naturali corpus & hanc vitam fovere, alere tueri, administrare.

26. Extra causam primæ tabulæ seu confessionis. Si quis suis nō providet, fidem negat & est infideli deterior. Et Christ⁹: non separet homo quos Deus conjunxit.

27. Hoc est ita relinqvendo suos & vendendo sua simul ultra tabulam secundam peccat & in primam.

28. Sic contra qui in causa Dei non dixerit ad se, suos, sua, nescio vos, non solum legem primæ tabulæ, sed nec secundæ servat.

29. Quia contra Deum injuste tenet vocante tabula prima, quod a Deo habet & juste possidet præcipiente tabula secunda.

30. Ex-

30. *Extra causam Confessionis, Christianus est civis hujus mundi, debens facere & ferre, quæ sunt suæ Civitatis juxta Tabulam secundam.*

31. *Si nunc Latro aut fur tibi vim inferre, vel furari volet, eò quod tu Christianus es, hic resistendum est malo, si vis pius civis esse hujus mundi.*

32. *Quia sicut Magistratus ipse resistit, cujus membrum es, ita præcipit Tibi resistere, virtute secundæ Tabulæ, cui teneris obedire.*

33. *Ita si Latro in itinere te occidere volet propter Christum, debes te defendere, etiamsi occidendus sit ille.*

34. *Quia scis Magistratum præcepisse Latroni resistendum, & suos Cives defendendos esse, hoc ipso obedis tam primæ quam secundæ Tabulæ.*

35. *Nec curandum, Si Christum, i. e. Tabulam I. prætendat, cum certū sit, quod non propter Christum, sed propter rem tuam te occidere querat.*

36. *Si verò Magistratus, sive prophanus, sive male Christianus, te persequitur propter Christum, omnia sunt relinqvenda, vendenda, perdenda.*

37. *Magistratus enim non est latro aut fur, rapiens corpus, uxorem, liberos & rem privatam, sed contra fures & latrones hæc omnia defendit.*

38. *Quare Magistrat' sive prophani sive impii, nō sunt contra nos, sed nobiscum & pro nobis in 2 Tabula.*

39. Summa magistratus quales qualis sit præcipit
semper & ubiq; pacem servari inter subditos cujuscunq;
sint religionis.

40. Ideo nõ licet privatis quales quales sint hac pa-
ce præcepta fecere vel ferre vim privatam sed magi-
stratus est incarnandus.

41. Cæterum Magistratus impius propter religionẽ
id est propter 1. tabulã volunt videri agere quod agunt.

42. Hic si non volunt melioribus informari habet
locum doctrina Christi: Vade vende reliquæ cede per-
de omnia etiam ipsam animam.

43. Qui ultra regnum hoc mundi non est superius
aliud Regnum, quod pro nobis contra hoc regnum stet,
nisi illud æternum Regnum Deo.

44. Ita sub Magistratu prohibente malum tenemur
obedire & non ferre, sed resistere malo virtute secun-
dæ Tabulæ.

45. Magistratui verò inferendi malum propter pri-
mam Tabulam [aliam causam habere non potest] non
est resistendum.

46. Quia non habeamus alium Magistratum sub
quo prohibente malum istius Magistratus possemus
aut deberemus resistere.

47. Sicut non habemus aliam quãdam tabulam 2.
propter quã liceret contra istam priorem agere.

48. Tabula enim secunda sicut & Magistratus per-
tinet

tinet ad hanc vitam mundi divinitus dati & constituti.

49. Ideo nostrum non est imo prohibitum est dissipare magistratus & politias à Deo ordinatas propria temeritate.

50. Sed tandus est locus iræ & non defendendi ipsi à nobis ipsis.

51. Evidens est, Papam non esse Magistratum, neque Ecclesiasticum neque Politicum, sed neque Oecon & Nomicum.

52. Tres enim Hierarchias redinavit Deus contra diabolum, scilicet Oeconomiam, Politiam, Ecclesiam.

53. Ecclesiasticum non esse convincit, quod Evangelium damnat, & conculcat, per suas blasphemias in Jure Canonico.

54. Politicum non esse convincit, quod jura civilia sibi subiecit, sicut & Evangelium.

55. Oeconomicum non esse convincit, quod nuptias & conjugium prohibet, quibus libitum est, non tantum sacerdotibus.

56. Sed est illud monstrum, de quo Daniel civit, quod adversatur omni Deo, etiam Deo Deorum.

57. Et quod Paulus Danielis verba secutus, vocat adversarium Dei hominem peccati filium perditionis.

58. Nostri Germani vocant *Beerwolf* / quod Graeci si forte notum illis fuisset dixissent ἀρκτολύκον.

59. Hoc animal lupus est quidem sed ad Dæmone, arreptus lacerat omnia & elabitur omnibus venabulis & armis.

60. Ad quod opprimendum, necessarius est concursus omnium pagorum & oppidorum, singulorum & omnium virorum etiamsi sic tandem evadat.

61. Nec est hic expectanda sententia iudicis aut concilii autoritas, sed expendenda praesens calamitas & necessitas.

62. Quod si laesus aliquis fuerit per hoc monstrum, dum occidendum persequitur, nulla conscientia persecutionis tenetur, sed poenitentia de non occiso.

63. Nec est hic curandum, si iudex aut Rusticus in pago hoc animal jubeat liberum dimitti, vel etiam defendat.

64. Nam Iudex & Rusticus tenentur nosse huius monstri naturam, & per sese magis persequi, quam ipsi persecutores.

65. Quod si Iudex & Rustici à persecutoribus istius monstri occidentur in tanto Tumultu, nihil injuriæ eis illatum est.

66. Ita si Papa bellum moverit, resistendum est ei sicut monstro furioso & obsesso seu verè δεκτολύτω.

67. Non enim Episcopus neq; Hæreticus neq; Princeps, neq; Tyrannus, sed vastatrix omnium Belua ut Daniel dicit.

68. Nec curandū si habet militantes sibi Principes Reges vel ipsos etiam Cæsares, titulo Ecclesiæ incantatos.

69. Qui sub Latrone militat (quisquis fuerit) militi-

militiæ suæ periculum cum æterna damnatione expectet.

70. Nec salvat Reges, Principes, sed nec Cæsares quod jactantes Ecclesiæ defensores cum scire teneantur quid sit Ecclesiæ.

71. Impossibile fuit, Papas condere leges utiles & fidelium salutem.

72. Primò quod fuerunt & sunt homines in scripturis indoctissimi & negligentissimi quod testantur eorum Decreta & Epistola.

73. Neq; enim ex toto corpore Papistici Juris & Epistolarum discere potens, quid sit Ecclesiæ, fides, verbum, præceptum Dei.

74. Ideo fuit necesse, Papas ambitione, superbia, avaritia, fastu, esse excæcatissimos in qua re fuerunt semper exercitatissimi, ut S. Petrus dicit.

75. Judex cupiditate & aliis pravis affectibus captus necessario judicat sicut cæcus de colore.

76. Hoc ipsi Juristæ fatentur, decreta papæ grave olerere ambitionem & avaritiam. Nec mirum, sunt enim ignorantes Dei.

77. Et quod Canonista purus est asinus verus, quod verbum est plane verissimum.

78. Nulla decretalis est, quæ non in principio, medio & fine horrendis blasphemis arroget sibi Dominum Ecclesiæ, & per hoc rerum omnium.

79. Se-

79. Secundo, est etiam ideo impossibile, quia ultra Scripturam nihil potest condi, vel de Fide, vel de moribus, ad salutem necessarium.

80. Sed quæ Cæsar, vel alius quicumque Princeps, de hac vita ordinat, ad Fidem non pertinent, sed sunt pro hoc mundo necessaria.

81. Tertio, est ideo impossibile, quod Papa nullum jus habent Leges condendi neque Ecclesiasticas, neque Civiles, neque Oeconomicas.

82. Præcepit enim Christus per Apostolos, quod & exemplo proprios firmavit sub Pilato, obedire Magistratibus, ut notum est.

83. Hoc cum servarint, omnes primitivæ Ecclesiæ, Episcopi & Fideles, solus & ut notum est.

84. Nec cogitat Belua, Arcto lycus, quod non est Rex, nec Gubernator Regnorum à Deo constitutus.

85. Et tamen in alienis Regnis, Politicis, Domibus lacerat, facit & furit, sicut Antolicus.

86. Sic ausus est Reges deponere, subditos ab obedientia & homagio (ei contra Paulum Roman. 13.) absolvere & omnia.

87. Sic ausus est, Scripturas S. conturbare. Sibi subjicere, & pro voluntate sua interpretatio & Ecclesiam extinguere.

88. Sic ausus est, patriam potestatem tollere, data Licentia liberis contra Parentes in vitos, contrahere conjugia.

89. Similiter contra Paulum licere deserere parentes, & Monasterium ingredi, etsi parentibus in morte serviendum esset, non tantum proximis.

90. Similiter sponsis & sponsatus etiam suo jure (injuria) desponsatis, liberum facit, Religiosos fieri.

91. Summa, nihil est ordinationis Divinæ & humanæ, quod hæc Belua non vastaverit.

FINIS.



m
m.
r-
e-
o-
i-
u-
cit
a-
ro
be-
te-
um
n-
ec

05 A 2504


ULB Halle 3
004 544 692



WOM







B.I.G.

Farbkarte #13

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue



INAUGURALIUM

L G A

ORI

Cap, 4. vers. 34.

Eleemofynis &c.

Licentia Doctorali

W E L L E R & M E D L E R.

Septembr.

R I O R I
E C O N C I L I I,

pro Licentia,

S C H E N C K &

S M O T H.

Octobr.

R E M A

ba Christi:

inque Omnia &c.

o Doctoratu

M Ö R L I N U S,

dt. Thuring.

Martio.

uli

Decano

L U T H E R O.

H. ENOCH. Buchta/

DC LXXVIII.

